P774

DE INSTITUTO SOC. IESU

CASUS IURIDICI ET MORALES

A

P. MARIANO PONGELLI

EIUSD. SOC.

PROPOSITI

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709



FLORENTIAE
EX TYPOGRAPHIA A SS. CONCEPTIONE
TYPIS RAPHAELIS RICCI

MDCCCLXXXIII

7036

MONITUM

P. Marianus Pongelli, honestissimo loco Fabriani natus xv cal. martii anno mdccm, Societati Iesu nomen dedit prid. nonas novembris anno mdccxxiii in Provincia Romana. Solemnia quatuor vota professus vitam ferme omnem contrivit regendis, instituendisque sodalibus; carus omnibus ob eximiam morum suavitatem et singularem in agendo prudentiam. Iam annis gravis, post universae Societatis cladem, anno mdcclxxiii in patriam reversus, paullo post piissime obiit. Iam vero quum non pauca eius scripta in manus devenerint, inter quae exquisita quaedam Casuum collectio de recta Instituti nostri intelligentia, quos diligens vir proponebat, dum Instructoris Patrum tertiae probationis munere fungeretur, visum est, hos Casus typis privatim edere, et Praepositis Provincialibus, Magistris Novitiorum, et Instructoribus tertiae probationis communicare, eo vel maxime quod singulis Casibus apponantur auctores et loca, ubi completa resolutio

et declaratio continetur, idque normam quodammodo praebeat nostris hominibus alia ulterius et uberius investigandi.

Quod si haec non solum, sed et opera P. Petri Ribadeneirae *De ratione Instituti S. I.* et P. Achillis Gagliardi *De plena cognitione Instituti S. I.* et Commentarii P. Nicolai Orlandini in Regulas, et Scholia mss. P. Hieronymi Natalis, et Responsa Praepositorum Generalium, aliaque huiusmodi prae oculis et manibus habeantur, abunde quisque materiam inveniet rite cognoscendi et explicandi, quae ad Instituti nostri rationem pertinent.

Faesulis, die festo SS. Nominis Iesu,
14 ian., 1883.

Petrus Beckx S. I.

CAPUT I.

Aliqui Casus pertinentes ad perfectam intelligentiam Instituti Societatis Iesu.

I. Titius legens *Summarium Constitutionum* haeret ad illud quod habetur numero 2.°, nec satis intelligit quomodo « impense in salutem et perfectionem proximorum incumbere » sit finis proprius Societatis, cum videatur non minus convenire aliis Religionibus, praesertim mendicantibus, et clericalibus. - Ostendatur quomodo non immerito hoc de se dicat Societas.

SUAREZ, *De virtute et statu Relig.* tom. IV, tract. X, lib. I, c. 2 per totum.

II. Titius aegre fert Societatem Iesu dici Religionem, cum sit sine choro, neque activa neque contemplativa, de genere nec mendicantium nec non mendicantium, nec monachalis nec pure clericalis, diffusiva in proximos eius perfectionis, quam ipsa ex vi Instituti non habet; coagmentata ex Professis et non Professis, et his multiplicis generis.

SUAREZ, ibid., tr. X, l. I, cc. 6 et 8; et lib. IV, cc. 9, 10, 11.

III. Titius miratur tantum operae et studii impendi in Societate in litteratura profana: et in scientia sacra comparanda mallet hoc studium impendi. - Prudenterne?

SUAREZ, ibid, tr. X, l. V, c. 2, per totum.

IV. Titius, vir secularis contendit, in Societate imprudenter nec pro dignitate tot viros magno ingenio praeditos tamdiu in erudiendis pueris detineri. - Rationabiliterne?

SUAREZ, ibid., tr. X, l. V, c. 5, a n. 6 ad 14.

V. Titius, dum expendit Institutum Societatis, dubitat an paupertas propria Societatis Professis sit conveniens et

proportionata fini quem ipsa Societas intendit. - Petit edoceri.

SUAREZ, ibid., tr. X, l. IV, c. 10.

VI. Titius criminatur differentias inter Professos quatuor et trium votorum, eo quod sit seminarium dissensionum nec conducat ad finem Societati proprium.

SUAREZ, ibid., tr. X, l. VII, c. 1, a n. 1 ad 7.

VII. Titius, expendens Institutum Societatis, miratur paupertatem Collegiorum adeo dissimilem paupertati Domorum Professarum, et mallet uniformitatem hanc cum illa. - Doceatur ergo 1.° penes quem resideat administratio bonorum Collegii, et penes quem dominium; 2.° Qua in re conveniat paupertas Collegiorum et paupertas Professorum, et in qua discrepet; 3.° Cur discrepet.

SUAREZ, ibid., tr. X, l. IV, c. 11.

VIII. Titius secularis, Caio infensus quod Societatem ingrediatur, carpit Societatem Iesu eo quod etiam in suis laicis praeseferat singularitatem, eos nimirum appellando *Coadiutores Temporales*. - Refellatur criminatio, et explicetur praestantia huius gradus.

SUAREZ, ibid., tr. X, l. VII, c. 3, sub init., et a n. 9.

IX. Titius criminatur nimis acerbam et indiscretam in Societate casuum reservationem; et quia plures reservantur casus quam oporteat; et quia difficilius quam par est Superiores concedunt facultatem hic et nunc necessariam confessario ordinario poenitentis, et multo difficilius alteri sacerdoti eiusdem domus eam facultatem petenti; et quia Superiores utuntur qualitercunque ea notitia habita in confessione ad poenitentis gubernationem. - Verane haec?

SUAREZ, ibid., tr. X, l. VIII, c. 5, a n. 4 ad 15.

X. Titius, silentii et solitudinis utilitates expendens, et incommoda spiritualia ex consueta nostrorum relaxatione facile eruptura, abdit se in cubiculum suum damnans illam ut religiosae disciplinae et pluribus virtutibus minime consentaneam. - Sentitne recte?

SUAREZ, ibid. tr. X, l. VIII, c. 8, a n. 11 ad 20.

XI. Titius, in spiritualibus Exercitiis, incidens in eam

regulam : « Solius Dei est consolari animam » ; ne ea sanae theologiae et philosophiae opponatur, valde timet. - Docendus est de recta intelligentia regulae.

SUAREZ, ibid., tr. X, l. IX, c. 5, a n. 39 ad 41.

XII. Titius, lectis S. Ignatii Esercitiis, pronuntiat exiliter, confuse, nec pro rerum dignitate ibi multa esse tractata. - Vindicanda methodus et ratio Exercitiorum.

SUAREZ, ibid., tr. X, l. IX, c. 6 per totum.

XIII. Titius pseudo-contemplativus, observans nostros non abstinere a conversatione secularium, improbat id, ut inimicum spiritus et hominis interioris. - Afferantur cautelae quibus utendum ne ea conversatio nocumento sit nostris ; et magnae utilitates quae redundant in proximum.

SUAREZ, ibid., tr. X, l. IX, c. 8, a n. 7.

XIV. Titius, considerans modum gubernandi in Societate, miratur tantam Generalis, et cum proportione ceterorum Superiorum potestatem, ut res omnes suo iudicio et voluntate definiri possint, etiam contra iudicium suorum Consultorum, si velint. - Satisfaciendum illi erit ex iis quae profert

SUAREZ, ibid., tr. X, l. X, c. 1, a n. 7.

XV. Titius miratur per unius Generalis iudicium eligi et creari omnes inferiores praelatos in Societate, eamque rationem parum prudentem, et regimini religiosae communitatis parum convenire putat. - Quomodo poterit illi satisfieri ?

SUAREZ, ibid., tr. X, l. X, c. 3, a n. 1 ad 14.

XVI. Titius, in vestibulo Societatis terretur ab ingressu, quod sibi videatur lex dura et intoleranda ea quae proponitur in *Exam. Gen.*, c. IV, § 34, circa conscientiae rationem reddendam. - Proponatur haec difficultas, et molliatur explicando fructus qui ex hac re proveniunt.

SUAREZ, ibid., tr. X, l. X, c .6 per totum.

XVII. Titius legens Institutum offendit ad ea verba *Exam. Gen.* c. IV, § 8 : « An contentus sit futurus ut omnes errores etc. » negat se posse acquiescere huic regulae ; quod ea sibi videatur adversari tum iustitiae, tum multo etiam magis charitati et in Evang. Matthaei XVIII

multo aliter a Christo doceamur de ordine servando in correctione fraterna.

Suarez, ibid., tr. X, l. X, cc. 7, 10, et 9 n. 16. - Sanchez, in *Decal.*, l. VI, c. 18, a n. 42. - Castropalaus, *De charitate*, tract. VI, disp. III.

XVIII. Titius, post emissam in Societate professionem, deprehenditur affectus aliquo impedimento ex accidentalibus. - Quaeritur an Societas, vi sui iuris, eum possit expellere?

Suarez, ibid., tr. X, l. XI, c. 1, a n. 3.

XIX. Titius dimissus e Societate queritur se indicta causa et ex sola privata informatione dimissum esse. - Quid respondendum pro Societate, et defensione iustitiae non violatae?

Suarez, ibid., tr. X, l. X, c. 13, a n. 4.

XX. Titius Professus, nullius criminis reus, et nullo modo gravis aut incommodus Societati flagitat a Generali facultatem transeundi ad Ordinem laxiorem. - Quaeritur an Generalis possit dare hanc facultatem?

Suarez, ibid., tr. X, l. XI, c. 2, a n. 3 ad 6, et 9.

XXI. Titius Professus, defuncto Generali, et coacta iam Generali Congregatione, petit ab ea facultatem transeundi ad Ordinem laxiorem. - Quaeritur quid possit in hoc casu Congregatio? Et quid si Titius commisisset crimen enorme, et maxime scandalosum, et probrosum Religioni?

Suarez, ibid., tr. X, l. XI, c. 2, a n. 11.

XXII. Titius obtinet facultatem abeundi e Societate post emissa vota simplicia. - Quaeritur qua auctoritate utatur in hoc Generalis Societatis, per dispensationem vel irritationem votorum?

Suarez, ibid., tr. X, l. III, c. 9. - Sanchez, in *Decal.*, l. VI, c. 9, et l. V, c. 1, n. 11.

XXIII. Titius vovit se ingressurum Religionem strictam et austeram. - Potestne ingredi Societatem? Et quid si vovisset simpliciter strictam?

Suarez, ibid., tr. X, l. I, c. 9, n. 1, 2, 17. - Sanchez, in *Decal.*, l. V, c. 5, n. 57, et l. VI, c. 7, a n. 19. - Castropalaus, par. III, tract. XVI, disp. IV, punct. 26, § 1, a n. 1. - Laymann, l. IV, tract. IV, c. 6, n. 10.

XXIV. Titius emisit in Societate vota simplicia ante 17 annum expletum, et post quinquennium praetendit nullam esse votorum emissionem ; et Caius quum ex quodam defectu fecisset professionem nullam, post quinquennium praetendit illam esse nullam. - Quaeritur an audiendi sint Titius et Caius ? Et an in Societate habeat locum incorporatio seu professio tacita ?

Suarez, ibid., tr. X, l. III, c. 8, per totum. - Castropal., tr. XVI, disp. II, punct. 7, per tot.; et punct. 1, n. 10. - Sanchez, *De Matrim.* l. VII, disp. XXXVII, n. 19, et 34, et in *Decal.* l. V, c. 3 a n. 13.

XXV. Titius post emissa vota simplicia Societatis, dimissus fuit a Generali sine iusta causa. - Quaeritur an sit valida haec dimissio ? Et quid si solum post dimissionem intelligatur causa non fuisse tanta ?

Suarez, ibid., l. III, c. 9, a n. 7; et n. 19. - Castropal. tr. XVI, disp. IV, punct. 20 a n. 3. - Sanchez, in *Decal.* l. VI, c. 9, n. 64, 65, 66.

XXVI. Titius emisit vota simplicia in Societate, quando iam parentes eius graviter indigebant. - Quaeritur : 1.° An possit ; 2.° An debeat Societas illum dimittere ? Et quid si gravis necessitas parentum superveniat post emissa vota ? Potestne Titius, imo teneturne petere dimissionem ut iisdem subveniat ?

Suarez, ibid., tr. X, l. III, c. 6, a n. 13. - Sanchez, in *Decal.*, l. IV, c. 20, a n. 17. - Laymann, l. IV, tr. V, c. 4, n. 2. - Castropal. tr. XVI, disp. II, punct. 2, § 6, per totum.

XXVII. Titius Coadiutor Spiritualis aequiparat se Professis, et pugnat esse inter se et ipsos differentiam mere arbitrariam et de nomine ; cum quidquid praestat emissio quatuor votorum, seu professio, praestet et emissio trium votorum, quae ipse Coadiutor Spiritualis nuncupavit. - Monendus iste ex

Suarez, ibid., tr. X, l. VII, c. 2, a n. 2.

XXVIII. Titius Professus Societatis, dum expellitur a Societate, repugnat, et hoc non posse fieri praetendit. - Explicandum quod ius, in hac parte, habeat Societas.

Suarez, ibid., tr. X, l. XI, c. 1, n. 2. - Laymann, l. IV, tr. V, c. 13. - Castropal., tr. XVI, disp. IV, punct. 19. - Sanchez, in *Decal.*, l. VI, c. 9, a n. 2.

XXIX. Titius Scholasticus Societatis ita valetudinem suam studiis attrivit, ut oneri potius quam utilitati futurus sit Religioni. - Quaeritur an licite possit eum Societas dimittere? an saltem si ipse consentiat? et an ipse possit licite consentire dimissioni suae?

Suarez, ibid., tr. X, l. III, c. 9, n. 12 et 15. - Castrop., tr. XVI, disp. IV, punct. 20, n. 7 et 8.

XXX. Titius tertiam illam per annum probationem intempestivam satis et inutilem esse dolet, cum maxime post illam ad Superioris arbitrium professionem differre debeat. - Docendus ergo de fine, modo, et utilitate tertiae probationis.

Suarez, ibid., tr. X, l. VI, c. 2.

XXXI. Titius Provincialis, defuncto Generali, et necdum electo Vicario, petit a Congregatione Generali usum earum facultatum et privilegiorum, qui usus concedi solet a Praeposito Generali. - Quaeritur an Congregatio gaudeat ea potestate aut iurisdictione communicandi?

Suarez, ibid., tr. X, l. X, c. 4, a n. 7.

XXXII. Titius, in ingressu Societatis, inventus aptus post vigorosum examen in philosophia et theologia ad professionem, audiens post biennium probationis differendam sibi professionem, dicit hanc dilationem sibi videri iniustam et inutilem; imo in universum tantam dilationem videri sibi culpabilem. - Quid respondebitur?

Suarez, ibid., tr. X, l. VI, c. 1.

XXXIII. Titius, post emissa vota in Societate, petit instanter et efficaciter dimissionem, nec patitur a suo proposito abduci. - Quomodo cum tali se gerere debet Societas? Et an possit a suo confessario in hoc statu absolvi?

Sanchez, in *Decal.*, l. VI, c. 9, n. 60. - Castropal., tr. XVI, disp. IV, punct. 20, n. 12. - Congr. Gen. VII, *Decr.* 22; - *Epistola Ms.* P. Vincentii Carafae, 10 Apr. 1647.

CAPUT II.

Aliqui Casus pertinentes ad ingressum in Societatem et ad vota in generali.

I. Titius, patrato homicidio in saeculo, petit admitti in Societatem. - Potestne admitti? Et quid si post professionem detegeretur homicidium? Imo generatim admissus et professus cum impedimentis in c. II *Exam.* recensitis, estne vere Professus?

Suarez, *De virtute et statu Relig.*, tom. IV, tr. X, l. II, c. 1, a n. 6 et 27. - Castrop., tr. XVI, disp. I, punct. 8, § 1, a n. 10. - De Lugo, in *Resp. Mor.*, l. IV, dub. 16 et 17.

II. Titius, Caius et Sempronius petunt admitti in Societatem; postquam Titius per 15 dies in Coenobio alterius Religionis commoratus est, quin habitum quidem illius induerit, sed cum eo habitu apud se in cubiculo, et communibus Novitiorum illius Religionis muneribus expletis; Caius vero postquam emisit vota simplicia militum S. Ioannis Hierosolymitani; Sempronius postquam per 4 vel 5 horas cum habitu alterius Religionis in ea fuit, et postea, dimisso habitu, mutavit consilium, et domum suam rediit. - Subiacentne hi omnes 3.° impedimento exposito in *Exam.*, c. II, n. 3, et *Part.* I, c. III, n. 5, et lit. E?

Suarez, ibid., tr. X, l. II, c. 1, a n. 16. - Castrop., tr. XVI, disp. I, punct. 8, § 1, n. 20. - Sanchez, in *Decal.*, l. V, c. 4, n. 29. - De Lugo, *Resp. Mor.*, l. IV, dub. 15.

III. Titius Novitius Societatis emissurus propediem vota simplicia, per quae intelligit obligationem non contrahi mutuam, angitur scrupulo, et quaerit an possit licite illa emittere?

Suarez, ibid., tr. X, l. III, c. 1 et 2. - Castrop., tr. XVI, disp. II, punct. 8, n. 1. - Sanchez, in *Decal.*, l. VI, c. 9, n. 60 et seqq.

IV. Titius, contracto prius in saeculo matrimonio, sed non consummato, inscia coniuge ingreditur Societatem, et

emittit vota simplicia. - Quaeritur: 1.° An haec vota simplicia irritent praecedens matrimonium ratum; 2.° An matrimonium ratum sit essentiale impedimentum ingrediendi Societatem?

Suarez, ibid., tr. X, l. IV, c. 2, a n. 1. et a n. 11. - Sanchez, in *Decal.* l. V, c. 1, n. 29. - Tamburin., l. VIII, *De Matrim.*, tr. V, c. 6, § 2. - Castropal., tr. XXVIII, disp. III, punct. 2, § 4.

V. Titius secularis voverat in omni vita ieiunium in pane et aqua, voverat se incessurum semper nudis pedibus, distributurum omnes reditus in eleemosynas, peregrinaturum singulis annis Hierosolymam: victus postea difficultate tot votorum, vult suscipere habitum religiosorum inter Canonicos Regulares. - Quaeritur: 1.° Cessantne statim haec vota? 2.° Cessantne ipso facto? Requirituine potius ut Titius habeat voluntatem commutandi vota priora in statum religiosum?

Suarez, ibid., tr. X, l. III, c. 4, n. 23; et tom. III, *De virt. et stat. Relig.*, l. VI, c. 14. - Sanchez, in *Decal.* l. V, c. 5, n. 38. - Laymann, l. IV, tr. V, c. 10, n. 3. - Castropal., tr. XVI, disp. II, punct. 8, n. 4, 5.

VI. Titius post emissa vota simplicia in Societate, vel eiicitur, vel obtinet facultatem exeundi ab illa. - Quaeritur an reviviscant aliqua vota facta in saeculo ante ingressum?

Suarez, ibid., tom. IV, tr. X, l. III, c. 4, n. 23 et seq. - Sanchez, in *Decal.*, l. V, c. 5, a n. 54. - Castrop., tr. XVI, disp. II, punct. 8, n. 7.

VII. Titius emisit vota simplicia in Societate ante expletum 16 aetatis annum. - Quaeritur an obstet decretum Concilii Trid., sess. XXV, c. 15, ubi ait: « Professio autem antea facta nulla sit ». Explicandum est an etiam votorum simplicium emissio post exactum biennium aequivaleat professioni ita religiosae, ut Scholares Societatis subsint illis poenis et gaudeant illis privilegiis, quae in iure communi proponuntur religiosis professis.

Suarez, ibid., tr. X, l. III, c. 6, n. 2, et c. 5 per totum. - Castropal., tr. XVI, disp. I, punct. 13. - Sanchez, in *Decal.* l. V, c. 4, n. 2; et c. 5, n. 7, 13, 28, 31, 34, 54, 56; et *Decr.* 35, Congr. VIII.

VIII. Titius, peracto iam tirocinio, emissurus propediem vota simplicia in Societate, dum expendit formulam haeret ad illa verba: « et promitto me eamdem Societatem ingressurum ». - Quae horum verborum vis ?

Suarez, ibid., tr. X, l. IV, c. 16 - Castropal., ibid., disp. I, punct. 1.

IX. Titius, Coadiutor Spiritualis, et Caius Scholasticus, pari invalitudine laborantes, petunt a Societate dimitti: hunc Societas abire permittit, secus illum. - Titius habetne ullam idoneam causam expostulandi ? Explicetur praeterea differentia omnis inter utriusque vota.

Suarez, ibid., tr. X, l. VII, c. 2, a n. 10.

X. Titius Professus, eiectus e Societate, dubitat an adhuc obligetur votis in Societate emissis. - Quid ei respondendum ?

Suarez, ibid., tr. X, l. XI, c. ult. a n. 5 - Vid. *Compendium novissimum Privil.* § 3 et 4.

XI. Quod dominium habeant Religiosi Soc. Iesu post vota biennii, an omnium quae de novo acquirunt, quomodocumque ea acquirant; an solum illorum bonorum quae antea habebant ?

Vid. De Lugo, *De Iustit. et Iur.* disp. III, sect. 4, a n. 82.

XII. An requiratur omnino integrum biennium ad valide emittenda vota simplicia in Societate, quae Religiosum constituunt; an Generalis Praepositus habeat potestatem talem tempus contrahendi ? Et quid de Provincialis potestate, an scilicet valide admitteret ad vota simplicia ante biennium expletum ?

Vid. Castrop., part. III, tr. XVI, disp. I, punct. 13. - Suarez, *De virt. et statu Relig.* tom. IV, tr. X, l. II, c. 4, n. 9. - Sanchez, in *Decal.* l. V, c. 4, n. 20.

XIII. Titius, patrato homicidio in saeculo, petit admitti in Societatem. - Quaeritur an possit? Et quid si post professionem detegeretur homicidium ?

Suarez, ibid., tr. X, l. II, c. 1, a n. 6, et 27. - Castrop. tr. XVI, disp. I, punct. 8, § 1, a n. 10. - De Lugo, in *Resp. Mor.* l. IV, dub. 16 et 17. - Congr. VII, *Decr.* 42. - Sanchez, in *Decal.*, l. V, c. 4, n. 60.

CAPUT III.

Aliqui Casus pertinentes ad perfectam intelligentiam votorum Soc. in particulari ; et 1.° De Paupertate.

I. Titius ante abdicationem suorum bonorum emisit vota simplicia in Societate. - Quaeritur: 1.° Quomodo retentio ista dominii sit compatibilis cum substantia paupertatis religiosae? 2.° An cum iniungetur illi abdicatio facienda, teneatur illam facere ex obedientia, an ex voto paupertatis?

Suarez, *De virt. et stat. Relig.* tom. IV, tr. X, l. IV, c. 4 , n. et 7. - De Lugo, *De Iustit. et Iur.* disp. III, sect. 4, n. 77. - Sanchez, in *Decal.* l. VII, c. 27, n. 32.

II. Titius, emissis iam votis semplicibus in Societate, volens facere abdicationem suorum bonorum, petit plene edoceri de tempore et modo quo ex Constitutionibus et aliis Ordinationibus nostris potest aut debet illam facere. - Doceatur ex

Suarez, ibid., tr. X, l. IV, c. 4, n. 3: et c. 5, a n. 2; et c. 6 per totum. - Sanchez, in *Decal.*, l. VII, c. 27, a n. 32. - *Epitom. Instituti, Part.* I, c. 6, et *Part.* III, c. 2.

III. Titius post emissa vota simplicia in Societate obtinet generatim facultatem abdicandi se bonis suis; postea sine nova facultate distribuit in pauperes. - Facitne hoc licite? an saltem valide?

Suarez, ibid., tr. X, l. IV, c. 6, a n. 7. - Sanchez, in *Decal.* l. VII, c. 27, n. 32. - Castrop., tr. XVI, disp. III, punct. 2, n. 6.

IV. Titius post emissa vota simplicia condit occulte testamentum sine facultate Superioris; postea moritur. - Quaeritur: 1.° An sit licitum? 2.° An validum? 3.° An irritabile a Superiore? 4.° An ab eodem commutabile in alia opera pia?

Suarez, ibid., tr. X, l. IV, c. 6, a n. 13. - Sanchez, in *Decal.* l. VII, c. 18, a n. 27, et c. 8, a n. 25. - De Lugo, *De Iustit. et Iur.* disp. III, sect. 4, a n. 79. - Castrop., tr. XVI, disp. III, punct. 12, n. 3.

V. Titius religiosus Soc. habuit licentiam accipiendi cocolatam sibi donatam; timens postea ne in visitatione cubiculi Superior illam auferat, eamdem occultat. - Peccatne contra votum?

Suarez, ibid., tr. X, l. IV, c. 8, n. 4, et t. III, l. VIII, c. 12, a n. 6. - Sanchez, in *Decal.* l. VII, c. 19, a n. 60, et c. 21, a n. 31. - De Lugo, *De Iustit. et Iur.*, disp. III, sect. 8, n. 156.

VI. Titius, inconsulto Superiore, accipit librum sibi oblatum, credens fore ut Superior licentiam accipiendi daret, licet displiceret illi hic modus accipiendi. - Potestne Superiore inscio hoc facere? Potestne saltem petere cum animo non accipiendi sine licentia?

Suarez, *De virtut. et stat. Relig.* tom. III, l. VIII, c. 11, n. 4 et 11. - Sanchez, in *Decal.* l. VII, c. 19, n. 13 et 52. - Castrop., tr. XVI, disp. III, punct. 23, a n. 7. - De Lugo, *De Iustit. et Iur.*, disp. III, sect. 8, n. 151.

VII. Titius religiosus ex communi bibliotheca sine Superioris licentia usurpat librum in usum suum, et ex horto communi similiter usurpat tres cedratos, quos pono valere decem iuliis. - Peccatne in utroque casu contra paupertatem?

Suarez, ibid., l. VIII, c. 11, n. 39. - Castrop., tr. XVI, disp. III punct. 21, n. 3. - Sanchez, in *Decal.* l. VII, c. 19, n. 57, et c. 20, n. 3, et c. 21, a n. 31. - De Lugo, *De Iustit. et Iur.*, disp. III, sect. 8 a n. 154. et n. 170, et 178.

VIII. Titius religiosus habet a suo Superiore licentiam dandi aliquas imagunculas. - Possuntne alii religiosi accipere sine licentia Superioris espressa? - Similiter Titius habuit licentiam a suo Superiore emendi aliquas coronas. - Indigetne nova facultate ut possit eas distribuere sive inter externos, sive inter domesticos?

Suarez, ibid., l. VIII, c. 11, n. 3 et 7. - Sanchez, in *Decal.* l. VII, c. 19, n. 70. - De Lugo, *De Iustit. et Iur.*, disp. III, sect. 8, n. 162.

IX. Titius, quum studeret theologiae in Collegio Romano, sine Superioris expressa facultate dabat hodie uni socio cocolatam, cras alteri, et sic de aliis, ita ut intra unum mensem tres libras cocolatae in aliis consumpserit.

- Quaeritur: 1.° Peccavitne contra paupertatem? 2.° Potestne in hoc habere locum licentia praesumpta?

Suarez, ibid., l. VIII, c. 11, a n. 4 ad 11. - Castrop. tr. XVI, disp. III, punct. 23, a n. 8. - Sanchez, in *Decal.* l. VII, c. 21, a n. 30. - De Lugo, *De Iustit. et Iur.* disp. III, sect. 8, n. 180.

X. Titius religiosus Soc. Iesu datum sibi viaticum parcius adhibet; postea aureum, qui superfuerat, largitur in eleemosynam. - Potuitne hoc licite facere? Et quid si dum iter haberet, aliquam partem sui viatici in pauperes distribuit?

Suarez, ibid., l. VIII, c. 15, a n. 5 et 11. - Castrop., tr. XVI, disp. III, punct. 22, n. 2, et alii quos citat. - De Lugo, *De Iustit. et Iur.*, disp. III, sect. 8, n. 158.

XI. Titius religiosus petit et obtinet a suo Superiore facultatem emendi sibi duos sclopos minores, seu duas, ut vocant, *pistolas*. - Quaeritur: 1.° An sine iniuria paupertatis possit eas emere et retinere? 2.° An venditor possit, sibi retinere pretium acceptum?

Castrop., tr. XVI, disp. III, punct. 23, a n. 4. - Sanchez, in *Decal.* l. VII, c. 19, a n. 19, et 29. - De Lugo, *De Iustit. et Iur.*, disp. III. sect. 7, a n. 130, 133, 136, 140.

XII. Bertha dat Titio religioso confessario suo 50 aureos distribuendos pauperibus. - Potestne Titius accipere et pro arbitrio suo disponere, et dispensare sine facultate Superioris?

Suarez, ibid., tom. III, l. VIII, c. 15, n. 15. - Castrop., tr. XVI, disp. III, punct. 22, n. 4. - Sanchez, in *Decal.*, l. VII, c. 30, et c. 19 n. 74. - De Lugo, *De Iustit. et Iur.*, disp. II, sect. 3, n. 54.

XIII. Titius, sacerdos secularis, petit a nostro sacerdote ut ipse applicet aliquot Missas pro quibus idem Titius stipendium accipit. - Peccatne noster ille sacerdos?

Sanchez, in *Decal.*, l. VII, c. 28, n. 19, 23, 24. - Castrop., tr. XVI, disp. III, punct. 11, a n. 7.

XIV. Titius concionator Soc. habens licentiam indeterminatam accipiendi decem aureos, accipit illos ex ministerio suae concionis. - Peccatne contra votum paupertatis?

Suarez, ibid., tom. IV, tr. X, l. IV, c. 8, a n. 6. - Sanchez, in *Decal.* l. VII, c. 28. - Castrop., tr. XVI, disp. III, punct. 11.

XV. Titius habens licentiam accipiendi res ordinarias, accipit a Caio Breviarium cum onere dicendi pro illo sex Missas. - Quaeritur: 1.° An peccet contra paupertatem? 2.° An in Professis Soc. non habentibus sustentationem certam, honestius et perfectius sit, adeoque possit cadere in materiam voti, nolle recipere stipendia pro ministeriis spiritualibus?

Suarez, ibid., tr. X, l. IV, c. 8, a n. 6 et c. 7, a n. 9. - Castrop., tr. XVI, disp. III, punct. 11. - Sanchez, in *Decal.*, l. VII, c. 28, a n. 5.

XVI. Titius missus ad concionandum tempore quadragesimae, res suas omnes inscio Superiore claudit in arcula, et clavim secum affert. - Peccatne contra votum paupertatis?

Suarez, ibid., tr. X, l. IV, c. 8, a n. 4, et t. III, l. VIII, c. 12, a n. 7. - Castrop., tr. XVI, disp. III, punct. 21, n. 3. - Sanchez, in *Decal.*, l. VII. c. 19. a n. 60.

XVII. Titius, etiamsi commode possit adire Superiorem, utitur epicheia. - Quaeritur an possit? Et desideratur clara ac diligens explicatio licentiae tacitae, et praesumptae, et quando possimus tuto illam adhibere?

Castrop., tr. XVI, disp. III, punct. 23, a n. 6. - Sanchez, in *Decal.*, l. VII, c. 19, a n. 2.

XVIII. Titius post vota biennii habetne dominium omnium quae de novo acquirit, quomodocumque ea acquirat; an solum illorum bonorum quae antea habebat?

De Lugo, *De Iustit. et Iur.*, disp. III, sect. 4, a n. 82.

CAPUT IV.

Aliqui Casus pertinentes ad Paupertatem Domorum Professarum et ad dominium Collegiorum Societatis.

I. Titius moriens gravavit haeredem ut singulis annis solvat mille aureos Domui Professae Romanae. - Potestne haec illos accipere? potestne exigere? teneturne haeres in

conscientia solvere? Et quid si hoc legatum relictum esset Fratribus Minoribus? teneturne haeres illos solvere? Hac occasione agitari potest, utra paupertas strictior sit: eane quam Societas, an ea quam Fratres Minores profitentur?

Suarez, ibid., tom. IV, tr. X, l. IV, c. 9, n. 7, et 14; et l. I, c. 3, n. 5, et l. IV, c. 6, n. 9. - De Lugo, in *Resp. Mor.*, l. IV, dub. 7. - Castrop., tr. XVI, disp. III, punct. 10. - Sanchez, in *Decal.* l. VII. c. 27, a n. 7, et c. 26, a n. 48.

II. Titius moriens reliquit haeredem Domui Professae domum huic non necessariam, cum ea conditione expressa, ut fructus illius locationis semper ad ipsam pertineat. - Quid fiet in hoc casu? Et quid ei relinqueretur fructus locationis solum per decem annos? Et quid si domus non potest opportune vendi?

Suarez, ibid., tr. X, l. IV, c. 9, a n. 10. - Sanchez, in *Decal.*, l. VII, c. 27, n. 4, et c. 26, a n. 37. - De Lugo, in *Resp. Mor.* l. IV, dub. 11.

III. Titius secularis moriens relinquit haeredem Novitiatum Romanum cum onere solvendi quidquid necessarium est pro musica in templo Domus Professae. - Potestne templum acceptare hos quasi reditus? Acquiritne ad illos ius non quidem civile, sed naturale?

Suarez, ibid., tr. X, l. IV, c. 9. - Castrop., tr. XVI, disp. III punct. 10. - Sanchez, in *Decal.* l. VII, c. 27, n. 3 et 12.

IV. Titius, Vicepraepositus Domus Professae Romanae, petit a Pontifice subsidium aliquod ad levandam suam paupertatem; Pontifex sponte sua offert illi facultatem acquirendi reditus certos. - Quaeritur an possit hanc facultatem acceptare? praesertim cum Tridentinum det facultatem omnibus religiosis, praeter Minores Observantes et Capuccinos, possidendi bona immobilia? Explicetur diligenter primum votum simplex quod emittunt Professi quatuor et trium votorum.

Suarez, ibid., tr. X, l. VI, c. 6, n. 9, 13, 15. - Sanchez, in *Decal.*, l. VI, c. 18, a n. 7. - Castrop., tr. XVI, disp. V, punct. 4.

V. Titius, religiosus Soc. et Procurator Domus Professae Romanae, paciscitur cum colono horti ad illam per-

tinentis, ut in sui laboris stipendium accipiat aut vendat tertiam partem olerum quae ibi nascuntur. - Potestne hoc facere?

Sanchez, in *Decal.* l. VII, c. 27, n. 5. - De Lugo, in *Resp. Mor.*, l. IV, dub. 10, n. 18.

VI. Titius, Coadiutor Temporalis, aedificat sacellum B. Virginis in suburbano Tiburtino Tirocinii Romani, et ponit ibi arculam ad colligendas eleemosynas. - Quaeritur an possit hoc facere, et tueri se exemplo S. Apollonaris de Urbe? Et quid si reliquatur eidem sacello capellania secularis annua nominanda a Rectore Tirocinii? Potestne Rector illas acceptare?

Suarez, ibid., tr. X, l. IV, c. 11, n. 10. - Epit. Instit. ad voc. *Arca* et *Capellania.*

VII. Titius, ante solemnem professionem, renunciat omnia sua bona, et iura praesentia et futura, in favorem Collegii Pistoriensis; postea vero, cum iam esset Professus, et habitaret in Collegio Florentino, frater eius moriens relinquit ei legatum annuum centum aureorum. - Quaeritur an hoc legatum pertineat ad Collegium Pistoriense, an ad Florentinum?

De Lugo, in *Resp. Mor.*, l. IV, dub. 5.

VIII. Titius moriens reliquit domum Domui Professae Romanae; haec, modico iam tempore elapso, non invenit occasionem opportunam commode illam vendendi. - Quaeritur an possit illam locare donec opportunitas ista se offerat?

Sanchez, in *Decal.*, l. VII, c. 27, n. 22, et c. 26, n. 37. - De Lugo, in *Resp. Mor.*, l. IV, dub. 11. - Suarez, ibid., tr. X, l. IV c. 9, n. 16.

IX. Titius Scholasticus in suis studiis spectat aliquod emolumentum, vel dignitatem, si bene doctus evadat. - Peccatne? Et si studeat solum ex curiositate; et si non studeat quantum posset? Et quid si eo animo ingressus fuisset Societatem ut commodius doctus evadat, et postea egrederetur? tenereturne ad restitutionem alimentorum Societati faciendam, et caeteras expensas pro eodem factas a Societate?

Suarez, ibid., tr. X, l. V, c. 3, a n. 7.

CAPUT V.

Aliqui Casus spectantes ad votum Obedientiae.

I. Titius Rector Collegii Tiburtini, praecipit Caio suo Magistro, seu Scholastico, ut in abdicandis bonis suis in praesenti disponat in favorem Collegii illius; repugnat Caius. - Quaeritur an peccet? Et quid si id praecipiat Generalis?

Suarez, *De virt. et stat. Relig.*, tom. IV, tr. X, l. IV, c. 6, et n. 6, et c. 12 per totum.

II. Titius religiosus Soc. Patri Ministro aliquid iubenti non dicit expresse: *Nolo facere,* sed respondet: *Quid mihi et V.ae Rev.ae?* aut: *Habeo aliud faciendum*, aut: *Vade et praecipe aliis.* - Peccatne graviter contra obedientiam? Et quid in casu quo non ipsi immediato Superiori, sed internuncio, qui nomine Superioris aliquid praecipit, respondeat: *Nolo facere?*

De Lugo, in *Resp. Mor.*, l. IV, dub. 22. - Castrop., *De Poenit.*, tr. XXIII, disp. unic. punct. XV, § 3, n. 5. - Tamburin., l. V, *De Poenit.*, tract. *de Cas. reserv.*, c. 7, § 3, a n. 30 ad 44, et a n. 52 ad 58.

III. Titius, Praepositus Generalis Soc., praecipit Caio Scholastico Soc., Missiones Indicas. - Teneturne Caius, ex solo voto simplici substantiali obedientiae, obedire?

Suarez, ibid., tr. X, l. IV, c. 12, n. 9. - Sanchez, in *Decal.*, l. VI, c. 2, n. 6, et c. 18, n. 5. - Castrop., tr. XVI, disp. V, punct. 3, n. 3.

IV. Titius, e Soc. Iesu, admonitus subire Rectoratum excusat se; rescribit Generalis; proponit iterum Titius difficultates; respondet Generalis ut, illis non obstantibus, acceptet, et id in virtute obedientiae illi praecipit. Titius etiam cum hoc praecepto, propter rationes quas affert Suarez, dubius est an possit, et debeat obedire.

De Lugo, in *Resp. Mor.*, l. III, dub. 19, a n. 7, et *De Iustit. Iur.*, disp. XVIII, sect. I, a n. 20. - Suarez, ibid., tr. X, l. IV, c. 15 a n. 19. - Sanchez, in *Decal.*, l. VI, c. 3, n. 11.

V. Titius perpendens id, quod ad directionem perfectae obedientiae ponitur Const. *Part. VI*, c. 1, videlicet: «Omnia iusta esse nobis persuadendo: omnem sententiam ac iudicium nostrum contrarium caeca quadam obedientia abnegando», imprudens, ac stolidum, et illicitum obedientiae genus esse putat. - Doceatur ex

Suarez, ibid., tr. X, l. IV, c. 15, et ex citatis in casu praecedenti.

VI. Titius, Rector Collegii Setini, praecipit Caio sacerdoti nondum professo, ut serviat peste laborantibus. - Teneturne Caius obedire? - Habes extensionem totius materiae comprehensae voto simplici obedientiae, apud

Suarez, ibid., tr. X, l. IV, c. 12, per totum. Vid., etiam Sanchez, in *Decal.*, l. VI, c. 2, a n. 56. - Castrop., tr. XVI, disp. IV, punct. 4, n. 7.

VII. Titius, Soc. Iesu, admonetur a Praeposito Generali de officio Rectoris quamprimum subeundo; pugnat secum ipso Titius, et tandem proponit non subire onus illud nisi sibi imponatur praeceptum de eo. - Quaeritur an hic obedientiae modus sit expediens? Et an possit Titio etiam esse necessarius.

Suarez, ibid., tr. X, l. VI, c. 8, et l. IV, c. 15, n. 25.

VIII. Titius Sacerdos inducit poenitentem suum moribundum ad faciendum legatum in favorem Societatis potius quam Ecclesiae matricis suae civitatis. - Peccatne contra obedientiam? legem ullam aut iustitiam? saltem valde reprehendendus est?

Suarez, ibid., tr. X, l. IV, c. 9, n. 9, et 11 in fin. - Sanchez, in *Decal.* l. VII, c. 27, n. 11. - Castrop., tr. XVI, disp. III, punct. 10 n. 6.

CAPUT VI.

Aliqui Casus circa Professos Soc. Iesu.

I. Titius, quum in primo examine ad professionem non satisfecisset examinatoribus, petiit secundum examen.

- Debetne aut potest illi concedi? Et quid si unus ex examinatoribus diceret, se quidem esse dubium de Titii sufficientia? Et quid si alius diceret *posse aegre, vix, utcumque cum satisfactione docere?* Possetne admitti ad professionem, si alii tres examinatores absolute illum non approbarent?

De Lugo, in *Resp. Mor.*, l. IV, dub. 19, et 20.

II. Titius tertiam illam per annum probationem finiens mox emissurus professionem, dum legit formulam, haeret circa puerorum institutionem ibi insinuatam, et quaerit an de hoc emissurus sit votum, et quid illa institutio importet?

Suarez, *De virt. et stat. Relig.* tr. X, l. VI, c. 3, a n. 5. - Castrop., tr. XVI, disp. V, punct. 2.

III. Titius, Coadiutor Spiritualis formatus Soc. Iesu, iussus a Pontifice obire Missiones Indicas, petit viaticum ab illo. - Quaeritur an peccet? Fiat explicatio diligens obligationis in Professis quatuor votorum ex vi quarti voti; et quid intersit inter obligationem in hac re Professorum, et obligationem Coadiutorum formatorum, et Professorum trium votorum.

Suarez, ibid., tr. X, l. VI, c. 4, a n. 22. - Sanchez, in *Decal.*, l. VI c. 18. - Castrop., tr. XVI, disp. V, punct. 3, n. 3.

IV. Titius Sacerdos Soc. Iesu, ex quadam sua devotione, mane antequam in Ecclesia professionem publicam emittat, privatim in cubiculo profert formulam professionis animo se obligandi ad omnia ibi contenta, renovaturus postea, ut ipse putat, professionem in Ecclesia. - Obligaturne per eam privatam emissionem? Et quid si tribus substantialibus votis nollet addere quartum de Missionibus? Valetne ea professio?

Suarez, ibid., tr. X, l. VI, c. 5.

V. Titius faciens professionem solemnem in Soc. Iesu, illius formam memoriter recitat, et non de scripto. - Estne valida? Et quaenam sunt, in facienda professione, substantialia, quaenam accidentalia?

Suarez, ibid., tr. X, l. VI, c. 5, a n. 10, et tom. III, l. VI

c. 12, a n. 3. - De Lugo, in *Resp. Mor.* l. IV, dub. 18. - Sanchez, in *Decal.*, l. V, c. 3. - Castrop., tr. XVI, disp. II, punct. 1, n. 1.

VI. Titius, Rector, in Congregatione Provinciali ambitiose egit, et procuravit ut aliquis indeterminate, qui ex Rectoribus non erat, eligeretur in Procuratorem. - Quaeritur an iste incurrat poenas ambitus in nostro iure praescriptas?

De Lugo, in *Resp. Mor.*, l. IV, dub. 25, et *De Iustit. et Iur.* disp. XXXVI, sect. 9, n. 135, et seqq.

VII. Titius Professus Soc., desiderans se esse Magistrum Novitiorum, ex hoc desiderio se dat maiori modestiae, aedificationi, orationi, etc. - Peccatne contra secundum votum simplex Professorum, non agendi nec praetendendi, ne indirecte quidem, ut in aliquam praelationem et dignitatem in Societate promoveatur? Et quid si ex eodem desiderio ostenderet apud Generalem, aut fingeret, virtutem quam non habet? Explicetur diligenter hoc votum.

Suarez, ib. tom. IV, tr. X, l. VI, c. 7, a n. 9. - Sanchez, in *Decal.* l. VI, c. 18, a n. 17. - Castrop., tr. XVI, disp. V, punct. 5.

VIII. Titius, post vota solemnia, vovet se non procuraturum, praetensurum extra Societatem praelationem aliquam, neque dignitatem, nec consensurum, nisi coactum obedientia eius qui possit illi praecipere sub poena peccati. - Quaeritur 1.°: An licite illud fiat, praesertim de Episcopatu, qui est status perfectionis? 2.° An expectare praeceptum Titius teneatur, an sufficiat quod Pontifex conscius voti et praecepti, imponat illi et offerat dignitatem? 3.° Quid intelligatur nomine *praelationis* et *dignitatis?*

Suarez, ibid., tr. X, l. VI, c. 7 et 8. - Sanchez, in *Decal.*, l. VI, c. 18, n. 26. - Castrop., tr. XVI, disp. V, punct. 6.

IX. Titius, Professus quatuor votorum in Soc., praecepto sibi imposito a Praeposito Generali acceptandi Episcopatum, dubitat an parere debeat aut possit. - Quid faciat?

Vid. De Lugo, in *Resp. Mor.*, l. III, dub. 4. - Suarez, ibid., tom. III, l. X, c. 10. a n. 18. - Sanchez, in *Decal.*, l. IV, c. 8, n. 38, et l. VI, c. 2, n. 49. - Castrop., tr. XVI disp. IV, punct. 5.

X. Titius Professus Soc., factus iam Cardinalis, curat

fieri Pontifex. - Peccatne contra votum non ambiendi? Et quid si existens adhuc simplex religiosus immediate curaret fieri Pontifex, ut olim?

SUAREZ, ibid., tom. IV, tr. X, l. VI, c. 9 a n. 11.

XI. Titius, Professus Soc., factus Episcopus, memor voti de audiendis et sequendis consiliis Praepositi Generalis, si satius duxerit, explicat Generali sibi votum hoc esse occasionem scrupulorum; adeoque vel acceptet voluntatem quam ex nunc habet subiiciendi se obligationi parendi illius consiliis tanquam subditus, vel consiliis ne se turbet et angat. - Quaeritur: 1.° An possit licite Titius Episcopus velle se sic subiicere Generali? 2.° Possitne Generalis hanc subiectionem acceptare? 3.° Potestne Titius Episcopus licite petere ne Generalis sibi consilium det? 4.° Potestne Generalis cedere iuri suo dandi consiliuum Titio Episcopo vel per se, vel per alium, si iudicet opportunum?

SUAREZ, ibid., tr. X, l. VI, c. 9, a n. 1 ad 11. - SANCHEZ, in *Decal.*, l. VI, c. 18, a n. 61. - CASTROP., tr. XVI, disp. V, punct. 8.

XII. Titius, Professus Soc., animadvertit Caium nondum Professum procurare sibi Episcopatum. - Quaeritur: 1.° An vi voti sui teneatur illum denunciare Superiori? 2.° Utram denunciationem promiserit Titius in voto, an iudicialem, an paternam tantum? 3.° Quam et quantam notitiam debeat habere Titius de alterius ambitione, ut teneatur vi voti denunciare?

SUAREZ, ibid., tr. X, l. VI, c. 10, a n. 7. - SANCHEZ, in *Decal.* l. VI, c. 18, a n. 54. - CASTROP., tr. XVI, disp. V, punct. 7, et CONGR. GEN. IX, *Decr.* 13.

XIII. Titius, Professus Soc., scit Caium Professum olim ambivisse Episcopatum, et simul scit iam omnino cessasse ab hac ambitione. - Teneturne vi sui voti denunciare illum Generali? Et quomodo? Et quid si talis ambitio esset occulta? Tenereturne denunciare, licet non cessasset?

SUAREZ, ibid., tr. X, l. VI, c. 10, a n. 14. - SANCHEZ, ibid., a n. 48. - CASTROP., ibid., n. 3, 6, 11 seqq.

XIV. Titius non admittendus ad professionem ex de-

fectu doctrinae, una cum aliis admittendis proponitur per errorem in scheda descriptus a Secretario P. Generali, qui non advertens errorem subscribit schedam et mittit ad Provincialem; admonetur Titius cum aliis, emittit professionem, et quidem non constituta die 15.ª aug., sed 31.ª iulii, ex voluntate Rectoris diem festum S. Ignatii celebriorem reddere volentis illa emissione professionis. - Invalidene professus est Titius? Et an alterutro, an ex utroque capite?

De Lugo, in *Resp. Mor.*, l. IV, dub. 13, et 43.

CAPUT VII.

Aliqui Casus pertinentes ad Privilegia et facultates Superiorum Societatis.

I. Titius Novitius, dum peregrinatur, confitetur peccatum reservatum in Societate apud sacerdotem secularem habentem iurisdictionem ordinariam ab Episcopo. - Potestne ab illo directe absolvi?

Suarez, *De virtut. et stat. Relig.* tom. IV, tr. VIII, l. II, c. 17, a n. 10. - Castrop, tr. XVI, disp. I, punct. 10, n. 9. - Laymann, l. IV, tr. V, c. 4, n. 4. - Tamburin., *De Poenit.* tr. *de cas. reserv.* c. III, n. 5 et seq.

II. Titius religiosus peregrinatur. - Quaeritur: 1.° An possit confiteri Caio religioso sui Ordinis secum peregrinanti, etsi non petierit expressam de hac re licentiam? 2.° An si contingat in itinere eos divertere ad Monasterium vel Collegium sui Ordinis, debeat confiteri confessario ordinario illius, an possit confiteri socio itineris? 3.° An, si solus peregrinaretur, possit confiteri cuicumque Sacerdoti regulari, vel seculari, etiam non approbato a suis praelatis vel ab Episcopo?

Suarez, ibid., tr. VIII, l. II, c. 17. - Castrop., tr. XXIII, disp. unica, punct. 14, n. 12.

III. Titius religiosus Societatis, iter agens, ingressus oppidulum subsistit in platea ibique concionatur; reclamat

Parochus, ac sine sua licentia id fieri imprudenter et iniuriose contendit. - Quaeritur an possit? Et an Parochus iuste reclamet? Et quid si ab eius dioecesis Episcopo procul residente in alio oppido, inhiberetur? Licitene vi nostrorum privilegiorum concionaretur Titius?

Suarez, ibid., tr. X, l. IX, c. 1, a n. 3.

IV. Titius Scholasticus iunior, neque adhuc prima tonsura initiatus, concionatur in publico. - Licitene id facit? Et quid si Novitius concionetur?

Suarez, ibid., tr. X, l. IX, c. 1, a n. 13 ad 18.

V. Titius advectus Romam, videns nostros passim per plateas concionari, sacrum verbi Dei ministerium profanari pronunciat. - Iurene an iniuria?

Suarez, ibid., tr. X, l. IX, c. 1, a n. 24.

VI. Titius poenitens, innodatus censuris et poenis ecclesiasticis, petit absolutionem a confessario Soc. - Quaeritur: Potestne absolvi? Et quatenus?

Suarez, ibid., tr. X, l. IX, c. 2, a n. 23.

VII. Titius Sacerdos Societatis ab Episcopo approbatus ad audiendas omnium confessiones in sua dioecesi, a suo superiore, v. g. a Rectore, prohibetur audire confessiones mulierum; audit tamen et absolvit. - Quaeritur: An valide?

Suarez, ibid., tr. X, l. IX, c. 2, a n. 2. - Castrop., tr. XXIII, disp. unic., punct. 14, n. 9.

VIII. Titius Sacerdos Soc. ministrat Eucharistiam in die Paschatis, non petita venia ab Ordinario. - Licitene? Et quid si ministret aegrotanti? aut constituto in periculo mortis?

Suarez, ibid., tr. X, l. IX, c. 3, a n. 6 ad 8, et a n. 11 ad 15.

IX. Titius familiaris in nostro Collegio, in articulo mortis constitutus, petit a nostris sacramenta Confessionis, Viatici et Extremae Unctionis. - Possuntne illi dari a nostris? Et quid si sit collegialis aliquis secularis, v. g. ex Collegio Cicognino Pratensi?

Suarez, ibid., tr. X, l. IX, c. 4, a n. 9 ad 18. - De Lugo, in *Resp. Mor.*, l. IV, dub. 33.

CAPUT VIII.

Casus aliqui spectantes ad iurisdictionem et facultatem Superiorum Societatis in subditos suos.

I. Titius, Novitius Soc., pessime tentatus a connovitio suo cadit in peccatum; confitetur postea Rectori, qui non vult illum absolvere, nisi extra confessionem denuntiet tentatorem. - Quaeritur an Rector possit hoc facere? Et utrum Titius teneatur extra confessionem manifestare tentatorem?

De Lugo, *De Poenit.*, disp. XVI, sect. 8, n. 431.

II. Titius, Rector novellus, in caso aliquo valde speciali, nec expresso in regulis aut facultatibus Rectorum, de facto utitur dispensatione. - Quaeritur an hoc iuris habeat? Ubi explicandum erit quaenam potestas competat omnibus Superioribus infra Generalem, ordinariane an delegata?

Suarez, *De virt. et stat. Relig.* tom. IV, tr. X, l. X, c. 5.

III. Titius, Rector Collegii Setini, iniungit Caio poenitentiam faciendam de iure in triclinio ad castigandum defectum, quem rescivit ex denuntiatione sibi facta ut Patri. - Quaeritur an peccet? Et quomodo in eiusmodi casibus possint ac debeant se gerere Superiores Societatis?

Suarez, ibid., tr. X, l. X, c, 10, n. 13, et c. 9, n. 1. - Congr. VI, *Decr.* 32 et 33.

IV. Titius Superior, post denuntiationem factam sibi ut Patri, cogit denuntiantem ut denuntiet sibi ut Iudici. - Quaeritur quatenus hoc licite aut secus facere possit?

Suarez, ibid., tr. X,l.X, c. 12, n. 4. - Castrop., tr. VI, disp. III, punct. 11, n. 11.

V. Titius Visitator interrogat Caium Coadiutorem Temporalem, an Sempronius religiosus, ceteroquin optimae famae, commiserit certum aliquod scelus, et praecipit ut

iuratus aperiat sibi veritatem. - An peccet Visitator, et quid respondere poterit Caius, qui revera scit Sempronium admisisse illud crimen, quod tamen adhuc est occultum? Et quid si Visitator instet, ut saltem sibi tanquam Patri rem denuntiet; quam circumspectionem debebit Titius adhibere?

Suarez, ibid. tr. X, l. X, c. 11, a n. 7, et c. 12.

VI. Titius Superior, cum ex privilegio Mendicantium, et Societatis proprio, sciat procedi posse in iudicio externo sine strepitu, figura aut solemnitate iudicii, procedit per viam particularis inquisitionis, nihil laborans an praecesserit semiplena probatio aut infamia, aut indicia sufficientia; quod existimet ea vocabula non esse pro iudiciis religiosis, sed secularibus. - Ut huic hallucinationi occurratur, proferenda sunt quae habentur in

Suarez, ibid., tr. X. l. X, c. 12, a n. 1 ad 16.

VII. Quaeritur, an qui iurisdictionis actus conveniunt Provinciali, Praeposito, Rectori, iidem conveniant Viceprovinciali, Vicepraeposito, Vicerectori; et quid in iis valeant Superiores Residentarium et Missionum fixarum, vel etiam Ministri in absentia Rectorum?

Vide in veteri edit. Epitom. Inst., part. VII, c. 1, sect. 1, et c. 5, n. 4, et c. 3, sect. 1, n. 7, 8, et c. 5, n. 3, 4. Congr. VIII. *Decr.* 25 et Congr. XII, *Decr.* 17. - De Lugo, in *Resp. Mor.* lib. IV, dub. 39.

VIII. Quaeritur, an praelati Societatis possint iurisdictionem exercere in Novitios, qui obedientiam non voverunt: vel etiam in homines Societatis, qui in ea domo tanquam hospites degunt?

Suarez, ibid., tr. X, l. X, c. 5, n 9. - Congr. III, can. 13.

IX. Titius e Societate sacerdos degens in Collegio A, constituitur a Generali Rector Collegii B. - Potestne statim sibi commissam iurisdictionem exercere in subditos Collegi B?

Suarez, ibid., tr. VIII, l. II, c. 6, n. 22. - Congr. VII, can. 20, et Congr. XVII, *Decr.* 7.

X. An Superior localis iurisdictionem retineat in subditum, qui e Collegio discessit, sed reversurus?

Schmalzgrueb., t. I, tit. 31, n. 36. - Diana, part. V, tract. 9, resol. 34.

XI. An qui habet licentiam dandi, possit dare aliis subditis eiusdem praelati, licet illi non habuerint licentiam accipiendi; vel qui habet licentiam accipiendi, possit accipere a subditis eiusdem praelati, licet illi aliunde non habuerint licentiam dandi?

De Lugo, *De Iustit. et Iur.* disp. III, sect. 8, a num. 163.

XII. An sit contra votum paupertatis habere meram administrationem rerum temporalium alicuius, dummodo ex administratione nullum emolumentum temporale religiosus reportet?

De Lugo, ibid., n. 155. - Suarez, ibid., tom. III, lib. VIII, c. 5, n. 31.

XIII. Quod dominium habeant religiosi Societatis post vota biennii; an omnium quae de novo acquirunt, quomodocumque ea acquirant; an solum illorum bonorum, quae antea habebant?

De Lugo, ibid., disp. III, sect. 4, a num. 82.

XIV. Quaenam dignitates et praelationes in Societate includantur in voto non ambiendi? Circa hanc materiam quaeruntur sex: 1.° Quaenam sit dignitas et praelatio proprie talis? 2.° An Rectores Seminariorum, qui immediate subsunt Provinciali, sint vere praelati regulares? 3.° An Superiores Residentiarum et Missionum fixarum immediate subiectarum Provinciali? 4.° An Superiores Collegiorum inchoatorum, qui constituti sunt a Provinciali? 5.° An Vicepraepositi, et Vicerectores constituti a Generali vel Provinciali, vel ab ipso Rectore moriente, aut omnino e domo abeunte, nec retinente officium; vel eidem a iure nostro in quibusdam casibus substituti? 6.° An Vicepraepositi et Vicerectores, absente tantum et iurisdictionem retinente Praeposito et Rectore?

CAPUT IX.

Aliqui Casus spectantes ad observantiam regularem Societatis, et disciplinam domesticam nostrorum.

I. Titius, Superior Soc., segnis est in tuenda disciplina et observantia in suis subditis. - Quaeritur an peccet, et quomodo?

De Lugo, *De Iustit. et Iur.*, disp. IX, sect. 2, n. 21. - Turrianus, *De Fide, Spe etc.*, disp. LXXXVI, dub. 2. - Emman. Rodrig., t. I, quaest. 73, a n. 4. - Castrop. tr. VI, *De Charitate*, disp. III, punct. 7, n. 8.

II. An nullum omnino peccatum sit transgredi Regulas Soc., quae non obligant sub culpa? Et praesertim quaeritur quid sit agere contra Regulas ex contemptu?

Vid. Laymann, l. IV, tr. V, c. 9, n. 8, et alios ab illo citatos.

III. Titius denunciat iudicialiter Caium. - Utrum debeat illum fraterne praemonere? Et quid tandem in eiusdem denunciatione, ut recte fiat, servandum est?

Suarez, *De virt. et stat. Relig.* tom. IV, tr. X, l. X, c. 12, n. 36, 42 et seq.

IV. Titius religiosus narravit poenitentiam gravem publice alteri impositam in suo Collegio; narravit inquam, alteri commoranti in alio eiusdem urbis Collegio; imo impositam in Collegio Romano scripsit ad Collegium Florentinum. - Quaeritur an peccaverit, et quomodo?

De Lugo, ibid., disp. XIV, sect. 6, a n. 80.

V. Titius religiosus conviciis ab alio et contumeliis affectus accusat iuridice conviciatorem. - Utrum peccet? Et quomodo procedet Superior?

Suarez, ibid., tr. X, l. X, c. 12, n. 29, 30 et 42.

VI. Titius denunciat Caium Superiori ut Iudici. - Quaeritur an Superior possit e vestigio procedere tanquam Iudex? Et quomodo deinde procedet, si denunciatus pertinaciter neget?

Suarez, ibid., tr. X, l. X, c. 12, n. 37.

VII. Titius religiosus Societatis, qui est iam plene emendatus, denunciatur Superiori ut Patri a Caio eiusdem Societatis. - Quaeritur: 1.° An peccet Caius denunciando? 2.° Si peccat, graviterne an leviter? 3.° Et quid requiratur ut possit dici Titius plene emendatus?

De Lugo, in *Resp. Mor.*, l. IV, dub. 46. - Sanchez, *in Decal.* l. VI, c. 18, a n. 49. - Suarez, ibid., tr. X, l. X, c. 8, n. 11, et c. 9, n. 8 et 17, et c. 7, a n. 19. - Castrop., tr. VI, disp. III, punct. 12, n. 4.

VIII. Titius e Soc., cooptatus in Collegium Doctorum Lovaniensium, quid curabit in suo munere, ne quid contra Societatis Constitutiones peccare videatur?

Suarez, ibid., tr. X, l. V, c. 3, n. 7, 9, 10.

IX. Titius, religiosus Societatis, 1.° hora matutina orationis subinde orat vocaliter; 2.° Frequenter non adest Litaniis Sanctorum consuetis; 3.° Missas aut coronas pro defunctis Soc. saepe non celebrat aut recitat. - Quaeritur in 1.° An faciat contra sensum regulae de oratione mentali? In 2.° An faciat contra consuetudinem graviter obligantem? In 3.° An peccet graviter?

Suarez, ibid., tr. X, l. VIII, c. 2, a n. 2, et c. 3, n. 3. - Sanchez, in *Decal.*, l. VI, c. 4, n. 68 et 70.

X. Titius, Scholasticus Soc., pro renovatione votorum nunquam fecit confessionem generalem semestrem. - Quaeritur an peccaverit? Et an regula Societatis sit iniqua et nimis dura?

Suarez, ibid., tr. X, l. VIII, c. 4.

XI. Titius, Pater Spiritualis in aliquo Collegio, consulitur a Caio Scholastico an in casu delicti gravis et occulti, quod ipse rescivit, debeat, pensatis omnibus, delinquentem Caium Superiori ut Patri denunciare? - Quid respondendum erit?

Suarez, ibid., tr. X, l. X c. 9 et 10.

XII. Assignanda erit omnis differentia quae intercedit inter denunciantem Superiori ut Patri, et ut Iudici.

Suarez, ibid., - Sanchez, in *Decal.*, l. VI, c. 18, a n. 57. - Castrop., tr. XVI, disp. V, punct. 7, a n. 10.

XIII. Titius sacerdos recitat hora secunda post meridiem Matutinum diei sequentis. - Quaeritur: 1.° An possit hoc facere sine peccato mortali? 2.° An etiam sine veniali? Et quid intelligatur nomine causae iustae sufficientis ad excusandum in similibus casibus etiam a veniali? Et an iusta causa sufficeret ad recitandum ante secundam horam?

Sanchez, in *Consil. Mor.*, l. VII, c. 2, dub. 37. - Tambur., in *Decal.*, l. II, c. 5, § 5, n. 2 et 3.

CAPUT X.

Casus unicus pro audiendis confessionibus in carceribus.

Titius interrogatur a iudice de homicidio cuius est reus. - Teneturne dicere veritatem contra seipsum? Et si male negavit, cogendusne est a confessario ad retractandum quod dixit.

De Lugo, *De Iustit. et Iur.* disp. XL, sect. 1.

FINIS.

060.19
P 774
7036
PONGELLI, MARIANO
AUTHOR
De Institutb S.J. Casus
TITLE
DATE LOANED | BORROWER'S NAME | ROOM NUMBER
C. Carroll | FEB 15
Kelly | OCT 24
Aherngan
O'Brien
STORAGE - COS
7036